inhiant, pecunie student, nullam habere virtutis curam. ignaros
bonarum artium. Et hec beneficiorum tam late patens ambitio multorum
animos pessumdedit. Nam et sana conscientia divitem fieri perdifficile
est, cum quibus artibus parentur, satis constat. Veterique proverbio decan-
tatum sit, dives aut iniquus, aut iniqui heres. Et hec superflua
congeries beneficiorum ruina est procul dubio super nos, et oppressura
animum nostrum, ne etiam novissimi quadrantis iusta reddiderimus
rationem. Quod si facere possimus, tamen ipse nosti difficultatem quam comprimit
vitia que undique scaturiunt, et magno adversum nos insurgunt
comitatu. Corpus, algens, esuriens, se castigans, nedum in
luxu, in delitiis, in saturitate, et copia constitutum. Quas opes pare-
re et beneficia opulenta consueverunt. Itaque mi Ricarde circumspice
diligenter, ut crescente pondere temporalium rerum robur quoque
animi crescat ad eas sustinendas, ne honere depressus
succumbas, et te exigere non possis. Cuidam ex gentilibus princi-
pi decerni sibi divinos honores petenti respondit unus.
Vide nedum celum petis terram amittas. Ego non tibi secus.
Cave nedum terram appetis amittas celum. Hec epistolam non
longam, quam si sepius legeris, si memineris sentencias sanum
consilium datum, et intelliges profuturum. Vale et saluta vobis
meis Bildeston nostrum, quem satis miror nobiscum ita silere, et
Recomenda me domino et saluta domesticos. Rome xii. maii.

Poggius. florentinus.

POGIUS p. s. d. Leonardo Aretino v. c. Cogitabam aliquid
ad te scribere, post discessum a te meum, ut renovarem
consuetudinem veterem nostram ad te scribendi. Iam dudum tum locorum
intervallo, tum negligentia intermissam. Arbitrabar enim illud vetus
nostrum institutum fuisse ad excitacionem dicendi, ut etiam parietes
quoque mutuis literis colloquerentur. Idque diutius a nobis est
observatum, quam in re permagnum fructum capiebam exercitati-
onis nostre, cum ne requirenti quidem ultro verba occurrerent
et sine ad scribendum accomodate. Sed nescio quo pacto,
vel rerum, vel ingenii, cuius quidem fateor inopia non solum scri-
ptione, sed ne cogitatione quidem dignum aliquid occurrebat
et atque etiam cogitanti, nec enim de rebus privatis, nec de publicis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0079
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG